Sacra
Pentecostalia

pie celebranda

Civibus

indicunt

Prorector et Senatus
Academiae Albertinae

Anno  MDCCCXLIII.

Inest
de libro Baruchi apocrypho
commentatio critica
auctore

Henrico Andr. Chr. Haevernick,

Theol. Doctore et Prof. Publ. Ord.

Regiomonti Borussorum,
typis Academicis Hartungianis.

I.

Librum Baruchi apocryphum a Judaeo Palaestinensi Hebraica vel Aramaica lingua exaratum, postea vero Graecum in sermonem translatum fuisse, pervulgata est opinio eaque nostris etiam temporibus a Theologis acriter defensa [1]). Quae quidem sententia tam miram prae se fert veritatis speciem, ut ipsius De Wettii antea cum Eichhornio et Bertholdto [2]) facientis assensu nuperrime comprobata sit [3]). Attamen temere hoc factum esse, persuasum habemus quam maxime. Videamus igitur quaenam sint argumenta ad sententiam illam sustentandam a VV. DD. allata, eademque qualia sint diligentissime exploremus. Quo facto quid nosmet ipsi de libri illius origine atque indole statuendum censeamus uberius explanabimus.

Sunt autem argumenta illa non externa quae vocantur testimonia, ex historia libri depromta (quae quantopere sententiam prorsus contrariam commendent postea videbimus): immo internae scripti illius naturae atque indolis unice hac in re ra-

1) Cf. Huet. dem. evang. p. 453. Calmet, dissertt. I, p. 356. Bendtson, exercitt. crit. in ll. V. T. apocr. p. 103 sq. Gruenberg, exercit. de l. Baruchi apocr. Gotting. 1797. 8. Dereser, Jerem. u. Baruch übers. p. 263 sq. Jahn, Einl. II, p. 486. sq. Hartmann, linguist. Einl. p. 330. Dähne, geschichtl. Darstell. d. alexandr. Jüd. Relig. Philos. II. p. 150 sq. Movers, de utriusq. recens. vat. Jerem. indole et orig. p. 6. cll. l. Bonner Kathol. Zeitschr. 1835. XIII. p. 31 sq. Hitzig, d. Pss. II, p. 119. Oehler in l. literar. Anz. v. Tholuck. 1842. No. 49. al.

2) Cf. Eichhorn, Einl. in d. Apocryph. p. 388. Bertholdt, Einl. IV, p. 1753 sq.

3) V. De Wette, Einl. p. 401. ed. IV.: „für eine hebraeische Urschrift lässt sich nichts bedeutendes anführen.“ cll. p. 443. ed. V.: „da das Buch seiner Anlage und seinem Geiste nach palaestinisch ist, so ist es wahrscheinlich in Palaestina und in dessen Sprache geschrieben.“

tionem habendam esse critici jubent. Atque primum quidem duriores illos hebraismos, quales hoc in libro passim deprehenduntur, operi de Hebraeo translato egregie convenire docent. Qua in re hebraismos lubenter adversariis concedimus, translationem non item. Nimirum ista concludendi ratione admissa sat multorum librorum ab Judaeis Graece conscriptorum, immo N. Ti librorum numerum haud ita parvum ex Hebraeo fonte emanasse demonstraveris. In Baruchi vero libro illud argumentum nihil omnino valet, quippe qui ex maxima parte nihil nisi locorum V. Ti farraginem contineat [4]). Quorum ab auctoritate ubi minus pendet scriptor, longe melius fluit ejusdem oratio duriores certe hebraismos atque soloecismos devitans (cf. III, 9 sqq.). — Longe gravioris momenti est alterum quod in medium proferunt argumentum: vitia enim Graeci interpretis in ipso Graeco libro deprehendisse sibi videntur. Ejusmodi in vitiis alias studiose conquirendis saepissime criticos lapsos esse, notum est: idem vero ne nostro quoque in libro acciderit magnopere vereor. Nam quae huc referunt vv.: *ποιήσατε μάννα* (I, 10.) i. e. עשׂו מנחה desumta sunt e locis nonnullis Jeremiae ubi interpres Graecus Hebraea sic reddidit, id quod luculenter apparet e vocab. *λίβανον*, cum illis vv. *κ. ποίησ. μάννα* conjuncto [5]). — VV. *ὅ βαδίζει κύπτον κ. ἀσθ.* (II, 18) non mira quadam interpretis incuria v. אשׁר ad *μέγεθος* referentis pro *ᾗ βαδιζ. κ. τ. λ.* di-

---

4) V. Delitzsch., z. Gesch. d. Jüd. Poes. p. 23.: „das B. Baruch ist der Wiederschein von den letzten Strahlen des untergegangenen Prophetenthums. Es ist zum Theil aneinandergereiht aus Emblemen altprophetischer Stellen, wie schon die Propheten Psalmverse musivisch gebrauchen.“

5) Vid. Jerem. XVII, 26.: *ὁλοκαυτώματα καὶ θυμιάματα καὶ μάννα καὶ λίβανον.* XLI. 5. [Gr. LVIII, 5.] *μάννα καὶ λίβανος* (cf. Spohnium ad utrumque l.). Cujus quidem rei rationem satis idoneam nondum VV. DD. aperuisse mihi videntur. Nam quam vulgo laudant Suidae (s. v. *μάννα*) explicationem: *μ., θυσία, σπονδὴ* (vid. v. c. Schleusneri thes. III, p. 494.), haec nihil aliud nisi vocab. Hebr. מנחה est interpretatio (cf. Theodoret., opp. II, p. 630.: *τὸ γὰρ μάννα θυσίαν οἱ Ἑβραῖοι καλοῦσι*). מנחה enim apud LXX. haud semel vertitur *θυσία.* Quaeritur autem quomodo hic intellexerint v. *μάννα* Alexandrini intpp. Scilicet non solum v. מנחה sed etiam eo quod adjicitur: *λίβανος* (לבנה) decepti sic transtulerunt, quum *μάννα* sive *μάννη λιβάνου* grana seu micae thuris concussu elisae appellentur, vid. Plin. h. n. XII, 14: micas concussu elisas mannam vocamus, et ll. Galeni, Dioscoridis in Stephani thes. l. Gr. ed. Hase V, p. 569. Unde quid sibi velit loquendi formula: *ποιεῖν μάννα* facile perspicitur.

cta sunt; sed longe melius dicitur: „quodcunque incedit humile“ quam: anima quae incedit. Itaque ne hebraismus quidem illis vv. inest. Idem statuendum est de l. III, 23.: *οἱ υἱοὶ Ἄγαρ οἱ ἐκζητοῦντες τὴν σύνεσιν οἱ ἐπὶ τῆς γῆς,* ubi interpretem v. אשר deceptum *οἱ* pro *τὴν* scripsisse contendunt. Nam elegantius et ad vv. contextum accommodatius Hagareni terram quasi perlustrantes dicuntur, quippe mercatores longe celeberrimi antiquissimis jamjam temporibus (Gen. XXXVII, 25.). — Quod addunt voculam *ὅτι* IV, 15 vitiose positam esse pro Hebr. אשר, non minus falsum esse judico quam illud quod in N. T. *ὅτι* pro pron. relat. dictum esse nonnulli voluerunt, ut Matth. V, 45 [6]). — In vv. *ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη ἡ πολλὴ αὕτη* II, 28. Hebraismum quidem agnosco, vitium interpretis video prorsus nullum. — Reliquum est, ut de difficiliori illo quod III, 23. legitur vocab. *Μέῤῥαν* paullo uberius disseramus, quod מרין s. מרן in textu Hebraico scriptum, perperam Graecis litteris expressum esse autumant [7]). At enim vero Midianitas nostro adeo fuisse ignotos haud crediderim. Immo Graeca verbi scriptio egregie defendi potest. Ingenue quidem fateor, illius loci detegendi conatus hucusque propositos tales esse, in quibus vix ac ne vix quidem acquiescere possimus [8]). Syrus interpres pro *Μεῤῥὰν* posuit ܡܕܝܢ. Quae quidem scriptio quamvis falsa tamen ad veritatem optime nos perducere potest. Apte enim nostro *Μεῤῥαν* comparatur urbs Syriae celeberrima Maarrah dicta, (Syr. ܡܥܪܗ, Arab. المعرة) [9]) cujus nomen Graeco scri-

6) Vid. contra illos disputantem Fritzschium ad Matth. p. 249 sq.

7) Hitzig, p. 119.: „*Μεῤῥὰν* lässt sich nur so erklären, dass im Hebr. Originale מרן für מרן = מרין stand oder zu stehen schien.“

8) Comp. Relandi Pal. p. 896. — Gaabius (Handb. II, 1, p. 19.) confert urbem מערה Jos. XIII, 4. dictam. — Mihi hac de re saepius cogitanti aliquando in mentem venit regio Arabica Mahrah (مهرة) dicta, quae Graecis etiam haud ignota mercatura olim floruisse dicitur (cf. Rommel, Albuf. Arab. descr. p. 32 sq.). De Arabica enim regione vel urbe scriptor *Μεῤῥὰν* cum Hagarenorum et Themanitarum terris conjugens loqui videtur. At nimis discrepant vv. *Μεῤῥὰν* et Arab. Mahrah. Quare nunc istam sententiam rejiciendam censeo.

9) Saepissime apud scriptores et Arabum et Syrorum urbs illa laudatur vid. v. c. Abulfedae hist. anteisl. p. 36, l. 10. Barhebr. chron. Syr. p. 281, l. 16. p. 532, l. 19. Add. Abulfedae tab. Syr. p. 111 sq. Schultens, ind. geogr. in vit. Saladini s. v. Maarra.

ptori auditu cognitum *Μεῤῥὰν* scribitur propter id quod sequitur vocab. *Θαιμὰν*, eadem syllaba terminatum (cll. Gen. XXV, 15. LXX. *Θαιμὰν*, Hebr. תימא). Quae si minus placuerit rem extricandi ratio, quid impedit quominus etiam h. l. fictionem auctoris geographicam statuamus, qualem certe alibi apud eundem non possumus quin concedamus [10])?

„At in Palaestina scriptor vixisse omnino dicendus est. Fingit enim Baruchum e Babylonia literas ad Palaestinenses scribentem: id quod Judaeo Palaestinensi egregie, multo minus vero Alexandrino convenire vides.“ Quasi vero illa ipsa fabula quam in Palaestina ortam esse volunt ad Alexandrinos pervenire non potuisset! Exstant enim haud pauca exempla, quibus quantam vim Judaeorum traditiones domesticae in Alexandrinos exercuerint luculenter probatur [11]). Itaque fundamentum nostri libelli e Palaestina originem trahens ab Alexandrinis acceptum atque exornatum facile statueris [12]). Sed ne hoc quidem verum esse judico. Nam in illa ipsa exilii Babylonici historia fabellis exornanda mirifice sibi placuisse Alexandrinos quis est qui nesciat? Nonne Danielis apocrypha hoc satis superque demonstrant? Imitatorem autem Danielis libri talem sese ostendit scriptor ut Hitzigius vel portentosam istam opinionem proferre non recusaret, et Danielis et Baruchi libros unum eundemque agnoscere auctorem. Quid? quod Baruchus scriptori necessario fingendus erat in Babylonia versans: nec hac de re dubitari potest, si modo libelli consilium et finem maximeque nexum qui est inter Jeremiae dicta LI, 1—5. LXX. et librum nostrum (I, 1 sq.) in mentem tibi revocaveris, vid. infra §. II.

Denique ad placita quaedam dogmatica provocant ab Alexandrinorum sentiendi ratione prorsus aliena. Quod Daehnio accidisse praecipue miror, quippe alibi vestigia philosophiae Alexandrinae quaerenti, ubi non sunt, hic vero ubi sunt per-

---

10) V. I, 4: *ποτάμȣ Σοὺδ.* Cf. Bellermann, Handb. d. bibl. Literat. III, p. 349. De hoc fluvio quae disputarunt Bochartus (Phaleg. p. 39.), Relandus, dissertt. miscc. I, p. 49. atque Rosenmüllerus (Alterthumsk. I, 2, p. 4.) multo minus probanda esse censeo.

11) Quam quidem rem in ipsa versione Alexandrina jam esse conspicuam nuper etiam ostendit Frankel, Vorstudd. z. LXX. p. 185 sq.

12) Traditiones quasdam Judaicas de Barucho vid. Seder Olam Rabba c. 26. p. 77. ed. Meyer. Huet. demonstr. ev. p. 450.; eas vero huc non pertinere sponte patet.

neganti[13]). Primum enim sapientiae descriptionem qualis III, 9 sq. legitur multo magis Siracidis quam libri Sapientiae doctrinae respondere praecipiunt. Recte quidem, neque is sum qui ad elementa Alexandrina in Siracidis libro statuenda illico confugiam: est enim res admodum incerta ac vix dirimenda[14]). Hoc tantum dico, fundamenta illius doctrinae qualia in V. Ti posita sunt et Alexandrinis et Palaestinensibus fuisse communia. Ad illa ipsa propius accedunt liber Baruchi et Ecclesiasticus: doctrinam vides in libro Sapientiae, non diversam, sed magis excultam atque amplificatam. Unde fortassis hunc librum paullo serioris aetatis esse aliquo jure concludi potest: nihil certe amplius. At enim in ipso Baruchi sapientiae expositione vestigia Alexandrinae cogitandi rationis satis aperta deprehendi, infra videbimus (v. §. II.). — Deinde mortuorum descriptionem nonnisi Palaestinensi convenire auctori judicant. Audiamus Daehnium h. m. disserentem: „in schneidendem Widerspruche gegen allen Alexandrinismus tritt auch in diesem Buche die traurige Ansicht von der vernichtenden Gewalt des Todes uns entgegen. Mit betrübender Klarheit und unbegreiflicher Ruhe versichert der Verf. (II, 17.) dass die Todten, deren Geist von ihrem Leibe genommen ist, weder den Herrn loben noch seine Gebote halten können [?!] und bezeichnet die im Todtenreiche versammelt sind als Dahingeschwundene (III, 19.).“ Quae argumentandi ratio non una de caussa vituperanda videtur. Nam quod ad l. II, 17. attinet eum ex ipsis V. Ti locis emanasse perspicuum est. Mortuos Deum laudibus non celebrare constans est V. Ti doctrina[15]). Idem valet de vv. *ὧν ἐλήφθη τὸ πνεῦμα αὐτῶν ἀπὸ τῶν σπλάγχνων αὐτῶν*, cll. Ps. CIII, 29. LXX.: *ἀντανελεῖς τὸ πνευμα αὐτῶν καὶ ἐκλείψουσι, καὶ εἰς τὸν χοῦν αὐτῶν ἐπιςρέψουσιν.* Scilicet *τὸ πνεῦμα* ad Deum post mortem revertens secundum V. Ti doctrinam (Kohel. XII, 7) intelligitur[16]). Ex illis igitur dictis quaenam peculiaris sit scriptoris sen-

13) Hoc enim recte docuisse existimo Jos. Thierschium de Pentat. vers. Alex. p. 43 sq.

14) Cf. Gfrörer, Philo u. d. Alex. Theos. II, p. 31 sq. Lücke, Comment. z. Ev. Joh. I, p. 263 sq. ed. III.

15) V. Ps. VI, 6.; LXXXVIII, 18. al.

16) Qua de re cf. libellum bonae frugis plenum: Heyder, Eccles. de immortal. animi qualis fuerit sententia Erl. 1838. p. 23 sq. — Quare ne Frischio quidem assentior h. m. praeci-

tiendi ratio vix perspicitur: quaeritur enim, quomodo V. Ti effata ab illo explicata fuerint, id quod h. l. frustra quaesiveris. — Magis etiam miror l. III, 19. a Daehnio allatum. Scriptor enim de potentissimis terrarum regibus loquens h. m. pergit: ἠφανίσθησαν καὶ εἰς ᾅδου κατέβησαν. Jam quod tantopere D. premit vocab. ἠφανίσθησαν male intellectum est: nihil enim aliud sibi vult nisi hoc: e terra discesserunt, comp. quae sunt illis opposita vv.: καὶ ἄλλοι ἀνέστησαν ἀντ' αὐτῶν. Formulam vero καταβαίνειν εἰς ᾅδου etiam ab Alexandrinorum ingenio neutiquam abhorrere, demonstrant ll. II. Macc. 6, 23. III. Macc. 6, 31., Cant. tr. puer. vs. 65. al. [17]).

II.

Quod aliquando de Baruchi libro in medium protuli judicium: „das B. Bar. ist ein gefälschter Alexandrinischer Pendant zum Buche des Jeremias" [18]) idem etiam nunc esse verissimum persuasum habeo. Jam vero quae illic paucis significavimus, hic uberius exponenda sunt atque demonstranda.

Graeca lingua librum primo exaratum fuisse, ex iis quae antea disputavimus, certe negandum non est. His accedunt nonnulla verba atque loquendi formulae, quae auctori Graece scribenti multo magis conveniunt quam Hebraea Graece reddenti. Cf. v. c. IV, 28. (δεκαπλασιάσατε), I, 3 (τῶν ἐρχομένων πρὸς τὴν βίβλον, quae vv. Syrum interp. h. m. explanantem vides: ܕܐܬܝܢ ܠܡܫܡܥ ܡܠܘܗܝ ܕܣܦܪܐ), I, 11 (ἵνα ὦσιν αἱ ἡμέραι αὐτῶν ὡς αἱ ἡμέραι τοῦ οὐρανοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, ubi denuo cf. Syrum verbb. structuram uti par est immutantem), III, 13. 20. 21. V, 4 al. —

pienti: „auch Baruch bleibt bei der althebr. Vorstellung vom Schattenreiche; nur mit dem Unterschiede (?), das er eine Trennung der Seele von dem Körper annimmt, ohne anzugeben was aus jener werde (?)." (v. Eichhorn, allgem. Biblioth. IV, p. 667.)

17) L. Bar. III, 3. immortalitatem animi negari (uti suspicatur Bretschneider, Dogm. d. Apocryph. I, p. 305.), opinio est vix digna quae refutetur, ne dicam commemoretur.

18) V. librum meum: Neue krit. Unters. üb. d. B. Daniel p. 17.

Accedit aliud idque gravius etiam argumentum. Scilicet testimonia veterum scriptorum perlustranti ne unum quidem vel levissimi ponderis sese offert, quo Aramaicum libri nostri Graece conscripti fontem fuisse probari possit. Quae quidem res eo magis memoratu digna est, quo diligentius in reliquis libris apocryphis ab ecclesiae patribus maximeque Hieronymo, harum rerum investigatore sollertissimo, eos qui apud Hebraeos Hebraice legebantur notatos conspicimus. Atenim Hieronymus: „librum Baruch, inquit, qui apud hebraeos nec legitur nec habetur, praetermisimus“ (praef. in vers. Jerem.), et alio loco: „libellum Baruch qui vulgo editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebraeos“ etc. (praef. in expos. Jerem.). Idem in aliis quoque libris accidisse vides ut in l. Sapientiae, et in secundo l. Maccab., quos Graecae idque Alexandrinae esse originis certissimum est. Quid? quod ne versionis quidem Hebraicae serioribus temporibus confectae, cujus v. c. in libro Sapientiae vestigia exstant [19]), in Barucho mentionem factam esse videmus. Quae quidem res Palaestinensi libri origine admissa vix habet quo explicetur: immo opus tantopere neglectum apud Judaeos, cum ab Alexandrinis discesseris, non ita magna fuisse auctoritate, jam recte contenditur (cf. §. III.).

Quae hucusque disputavimus egregie illustrantur atque confirmantur libro Baruchi cum Alexandrina versione comparato. Scriptorem nostrum illa versione usum fuisse, praesertim si Jeremiae vaticinia cum hoc libello contuleris, clarum est. Cf. praecipue I, 9.: *μετὰ τὸ ἀποικίσαι Ναβουχοδονόσορ βασιλέα Βαβυλῶνος τὸν Ιεχονίαν καὶ τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς δεσμώτας καὶ τοὺς δυνατοὺς καὶ τὸν λαὸν τῆς γῆς κ. τ. λ.* Jer. XXIV, 1.: *μετὰ τὸ ἀποικίσαι Ναβουχοδονόσαρ βασιλέα Βαβυλῶνος τὸν Ιεχονίαν — καὶ τοὺς ἄρχοντας — καὶ τοὺς δεσμώτας, καὶ τοὺς πλουσίους κ. τ. λ.* [20]) — II, 23.: *ἐκλείψειν ποιήσω ἐκ πόλεων Ιούδα καὶ ἔξωθεν Ἱερουσαλὴμ φωνὴν εὐφροσύνης καὶ φωνὴν χαρμοσύνης, φωνὴν νυμφίου καὶ φωνὴν νύμφης,* cll. Jer. XXXIII, 10. 11.: *ἔξωθεν Ἱερουσαλὴμ — φωνὴ εὐφροσύνης*

---

19) V. Zunz, d. gottesd. Vortr. d. Juden p. 105. add. Delitzsch, de Habak. proph. vita atque aetate p. 31.

20) Moversii errores optime perstrinxit Kueper, Jerem. S. S. int. atque vind. p. 186 sq.

και φωνὴ χαρμονῆς, φωνὴ νυμφίου καὶ φωνὴ νύμφης (Moversius minus recte contulit l. VII, 34.). — II, 25. ἐν λίμῳ — καὶ ἐν ἀποςολῇ. cll. Jer. XXXII, 36. ἐν λίμῳ καὶ ἐν ἀποςολῇ [21]). — II, 4. καὶ ἔδωκεν αὐτοὺς — εἰς ὀνειδισμὸν καὶ ἄβατον κ. τ. λ. cll. Jer. XLIX, 19. ἔσονται εἰς ἄβατον (vid. etiam XLIX, 19.). — I, 10.: λίβανον καὶ ποιήσατε μάννα cll. Jer. XVII, 26. XLI, 5. (vid. §. I.) al. Vides nostrum paullo liberius V. Ti dicta suum in usum accommodasse, ita tamen ut e quo hauserit fontem nullo modo ignorare possis. Quod bene sentiens Hitzigius versionem et Jeremiae et nostri libelli Graecum unius ejusdemque scriptoris studio esse elaboratam perhibet. Quod equidem pari fiducia non contenderim: omnia enim facile explicantur, si scriptorem nostrum illam versionem bene cognitam habuisse et sedulo ipsius vestigia pressisse statueris.

Sed utrumque librum etiam longe arctiori vinculo conjunctum esse persuasum habeo, idque a VV. DD. omnino neglectum magnopere miror atque doleo, quum ad originem libri perspiciendam multum utilitatis inde redundet. Namque initium libri (καὶ οὗτοι οἱ λόγοι τοῦ βιβλίου) accuratius considerantes non possumus quin auctorem suum libellum cum alio quodam scripto arctius conjungere voluisse statuamus. Et recte quidem. Cohaeret enim Baruchi liber arctissime cum Jer. cap. XLV., quem quidem l. in fine paene vaticiniorum Jeremiae collocandum duxerunt Alexandrini (Jer. LI. LXX). Comp. LI, 1. LXX. (ὁ λόγος ὃν ἐλάλησε Ἰερεμίας ὁ προφήτης πρὸς Βαροὺχ υἱὸν Νηρίου, ὅτι ἔγραψε τοὺς λόγους τούτους ἐν τῷ βιβλίῳ ἀπὸ ςόματος Ἰερεμίου) cum Bar. 1, 1. Scilicet non solum Jeremiam Baruchi manu et opera in scribendo usum fuisse, sed hunc quoque peculiarem quendam librum composuisse, eumque singulari Jeremiae mandato quasi sancitum fuisse (cf. LI, 2—5. LXX.) sine dubio scriptor vult innuere. Praecipue vero verba huc faciunt quae illic leguntur: δώσω τὴν ψυχήν σου εἰς εὕρημα ἐν πάντι τόπῳ, οὗ ἐὰν βαδίσῃς ἐκεῖ. Quae quo sensu noster dicta voluerit facile apparet e fictione, Babylone Baruchum scripsisse; hanc enim in urbem ad captivos Judaeorum Baruchum a propheta missum fuisse somniabat. Quare illud Jeremiae vaticinium

---

21) Ita prorsus singulari ratione intpp. reddiderunt Hebr. דבר; cf. Schleusner, thes. I, p. 401.

contra Babylonem (cap. L. LI. Hebr. XXVII. XXVIII. LXX.) huc referendum esse judicans, unum ex iis qui cum Zedekia Babylonem profecti essent Baruchum fuisse (LI, 59 sq.) scriptor opinabatur. Jam omnia clara sunt atque perspicua. Scilicet quinto anno Zedekiae Baruchum librum suum scripsisse dicitur I, 2.; quarto enim anno cum Zedekia iter susceperat Jer. LI, 59.[22]). Cui quidem narrationi mirifice favere videbatur Baruchi (v. Jerem. XXXII, 12.) et Serajae (v. Jer. LI, 59.) propinqua cognatio:[23]) quare genealogia Baruchi non neglecta (I, 4.) sed amplificata cum fratre Seraja Baruchum Babylonem se contulisse auctor fingebat. Quae quum ita sint, post Jerem. cap. LI. (LXX.) ut nostrum libellum Jeremiae vaticiniis tanquam appendicem insereret scriptori propositum erat[24]). De quo vinculo, Baruchi librum et septuagintaviralem versionem arctissime copulante haudquaquam esse dubitandum alius etiam locus demonstrat. Agit autem ille de vasis templi sacris h. m.: *ἐν τῷ λαβεῖν αὐτὸν* [sc. Baruchum] *τὰ σκεύη οἴκου κυρίου, τὰ ἐξενεχθέντα ἐκ τοῦ ναοῦ ἀποςρέψαι εἰς γῆν Ἰούδα — σκεύη ἀργυρᾶ ἃ ποίησε Σεδεκίας κ. τ. λ.* (Bar. I, 8.). Haec omnia quem in finem sint excogitata, criticorum nemo quod sciam perspexit atque docuit[25]). Neglexerunt enim l. Jerem. XXXIV, 16 sq. LXX. (XXVII. Hebr.), ubi pseudoprophetae vasa cum Jechonja Babylonem translata mox reducenda contendentes (cf. XXVIII, 3.) a Jeremia

---

22) Recte enim judicat De Wettius, p. 441: „eine Berücksichtigung und falsche Benuzzung der Stelle Jer. LI, 59. ist allerdings wahrscheinlich" cll. Eichhorn, p. 379. 381. — VV. autem *ἐν τῷ καιρῷ, ᾧ ἔλαβον οἱ Χαλδαῖοι τὴν Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐνέπρησαν αὐτὴν ἐν πυρὶ*, male intellecta a Bertholdto p. 1758 sq. non esse premenda judico sed eadem ratione interpretanda qua illa: *ἐν ἡμέρᾳ ἐντειλαμένου σου αὐτῷ κ. τ. λ.* II, 28.

23) Cf. Dahler, Jerémie II, p. 256.

24) Cf. quae hoc optime illustrant patrum ll.; v. Synops. S. S. in Athanasii opp. II, p. 100.: *Βαροὺχ δὲ ἐπιγράφει τὸ βίβλιον ἐπειδὴ οὗτος γράψας ἀπὸ ςόματος Ἱερεμίου τοὺς ἐν τῷ βιβλίῳ λόγους, ἀνέγνω τοῖς ἐν τῇ Βαβυλῶνι αἰχμαλωτισθεῖσι, παραμυθούμενος αὐτοὺς καὶ ἐπαγγελόμενος τούτοις τὴν παρὰ θεοῦ ἐλπίδα.* Theodoretus: *ἀφικόμενος τοίνυν εἰς τὴν Βαβυλῶνα, τοῦ θείου Ἱερεμίου τὴν προφητείαν ὑπανέγνω πᾶσι τοῖς αἰχμαλώτοις.* Scilicet vv.: *τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου* Bar. I, 2. ad ea quae Jer. LI, 1. LXX. leguntur *τοὺς λόγους τούτους ἐν τῷ βιβλίῳ ἀπὸ ςόματος Ἱερεμίου* referenda esse putabant.

25) Noli enim praeeunte Gesenio (ad Jes. II, p. 157 sq.) huc trahere quae Dan. V, 2 sq. leguntur, vid. comment. meum ad Dan. p. 177.

prorsus contraria vaticinante castigantur. Quem l. mire turbarunt LXX. interpretes. Scilicet vv. עתה מהרה (vs. 16.) omiserunt ideoque Jeremiae etiam vaticinium (vs. 19 sq.) immutarunt. Cui depravationi omnino respondent quae in Barucho leguntur. Nam vasa sacra jamjam a Nebucadnezare Judaeis reddita esse certe aliqua ex parte (hoc enim sibi vult quod de argenteis vasis Zedekiae jussu confectis traditur) scriptor fabulatur: ita vero tantum fabulari poterat si versionem Jeremiae septuagintaviralem (cap. XXVII.) nec vero ipsum textum Hebraicum ante oculos habebat. Quo quidem exemplo simul apparet, quam arbitrarie Alexandrini in Jeremiae l. interpretando sese gesserint, in fabulis et ineptiis quibus fidem facerent majorem curam ponentes quam in ipso textu Hebraico religiose convertendo, et quam vana sit eorum opinio, qui singularem quandam recensionem textus Hebr. etiam h. l. LXX. intpp. secutos esse perhibent [26]). Historiolam vero ipsam eum in finem excogitatam putamus, ut benevolentiam ac verecundiam, qua ethnici reges res Judaeorum sacras omnibus temporibus prosecuti essent, demonstraretur, id quod Alexandrinis quantopere curae cordique fuerit dici non potest [27]). Denique praetermittenda non est h. l. epistola Jeremiae. Quam ab eodem qui Baruchi librum congessit homine scriptam esse non est verisimile: tamen ejusdem est farinae liber, Graece atque ab Alexandrino homine compositus eum in finem ut prophetae de superstitione ethnicorum effata Jer. X, 1—16. exornaret (cll. c. XXIX.): in tali enim idololatriae descriptione atque castigatione mirifice sibi placebant Alexandrini (cf. Sap. XIII—XV.). Eodem studio ductos jam LXX. fuisse e perversa ista qua Jerem. X, 1—16. denuo tractantes suum in usum accommodare volebant ratione apparet. Adde l. ep. vs. 3. ubi quae de septuaginta annis exsilii Babylonici alibi leguntur sic confirmata vides: *ἔσεσθε ἐκεῖ ἔτη πλείονα καὶ*

---

26) Cf. Movers, de utr. rec. etc. p. 26 sq. De Wette Einl. 302 sp. Hitzig Jerem. p. 212 sq.

27) Cujus rei insigne exemplum exstat v. c. apud Joseph. ant. XIII, 6. ubi Judaei cum Samaritanis coram Ptolemaeo Philometore concertantes affirmant, *ὅτι πάντες οἱ τῆς Ἀσίας βασιλεῖς τὸ ἱερὸν ἐτίμησαν ἀναθήμασι καὶ λαμπροτάταις δωρεαῖς.*

χρόνον μακρὸν ἕως γενεῶν ἑπτα[28]). Egregie his vv. lucem affundit l. Jerem. XXVII, 7. Hebr. (XXXIV. LXX.) ubi nonnisi trium generationum mentio fit. Quae quomodo sint concilianda cum l. XXV, 11. XXIX, 10. non intelligentes ad aliam istiusmodi criticis valde adamatam rem expediendi rationem confugiebant. Nempe LXX. intpp. locum impeditum judicabant omnino delendum, epistolae auctor aliam viam ingrediebatur, difficultatem ita tollens ut pro trium generationum numero septem substitueret.

Quae de libro Barucho cum Alexandrina versione arctissime juncto disseruimus prorsus sufficiunt ad ipsius originem Alexandrinam demonstrandam. Neque vero desunt vestigia eandem scriptoris patriam indicantia. Insunt libro verba, loquendi formulae, placita dogmatica atque philosophica quae fontem unde emanaverint aperte produnt. Huc pertinet vocab. μυθολόγοι III, 23. qnod non minus quam vocab. φιλόσοφοι Dan. I, 20. LXX. a Bendtsenio apposite collatum Alexandrino multo magis convenit quam Judaeo Palaestinensi. — Cap. I, 11. 12. (cll. II, 22 sq.) scriptor Judaeos exhortatur ut pro salute Nebucadnezaris ejusque filio. Deum precibus adeant. Qua in re notandum scriptori sine dubio ll. V. Ti ut Jerem. XXIX, 7. Esr. VI, 10. ante oculos versari, illa a vero h. l. mira quadam ratione immutata legi. Ejusmodi enim preces quibus regum et magistratuum favorem sibi conciliarent apud Alexandrinos praecipue in usu fuisse, constat[29]). — Deus saepissime appellatur ὁ αἰώνιος v. c. IV, 10. 14. 20. 21. 24. 25. Eundem usum deprehendis II Macc. 1, 25. III Macc. 5, 12. — III, 26—28. scriptor commemorat atque exornat traditionem illam antiquissimam de gigantibus quorum mentio fit Genes. VI, 1—5., Alexandrinorum morem observans, ut peculiaris ille Philonis de gigantibus liber testatur[30]). — III, 24. mundus appellatur domus Dei, ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ. En locutionem Alexandrinis gratissimam! Ἦν γὰρ οἶκος ὁ κόσμος αὐτῷ καὶ πό-

28) De qua re Bertholdtus (Einl. p. 1769.) recte judicavit: „der Ausdruck γεν. ἑπτα soll eine Nachhilfe der Weissagung des Jerem. seyn, um ihren Zielpunkt auf eine entfernte Zeit hinauszusetzen.“ Cf. etiam Wieseler, z. Ausleg. u. Krit. d. apocal. Literat. I, p. 169.

29) Cf. A. Th. Hartmann, d. enge Verb. d. A. u. N. T. p. 306 sq.

30) Cf. Wernsdorf, exerc. de commerc. ang. c. fil. hom. a Judaeis et patribus platonizantibus credito. Viteb. 1742. 4.

λις, Philonis est dictum saepissime repetitum [31]). — IV, 7. ethnicorum Dii appellantur *δαιμόνια* nitituque haec doctrina manifesto in l. Ps. XCVI, 5. ab Alexandrinis h. m. translato: *ὅτι πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, ὁ δε κύριος τοὺς οὐρανοὺς ἐποιήσε*, ut ipse Daehnius non possit quin concedat, ita docens: „dagegen mussten dem griechischen Concipienten auch die LXX. in ihrer alexandrinisirenden philosophischen Form bekannt und genehm sein." Apprime vero etiam huc facit l. Sibyllin. oracc. prooem. vs. 22. (pag. 23. ed. Gall.): *δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε τοῖσιν ἐν ᾅδου*, quem ab Alexandrino esse conscriptum omnia clamant. — In ultima libri parte (IV, 21 sq.) scriptor consolatione non solum in universum uti vulgo putant [32]) populum mulcere, sed etiam certa quadam spe animos summo afflictos moerore erigere studet. Quem in finem cum Judaeos undique congregandos atque ita servandos esse (IV, 37. V, 5.), tum talem tantamque salutem jam prope instare affirmat. Vid. IV, 24.: *ὄψονται ἐν τάχει τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ σωτηρίαν*. Neque semel illud *ἐν τάχει* lectorum mentibus inculcat, comp. IV, 22. 25. (cf. etiam §. III.). Jam vero adeas II Macc. librum, ubi prorsus eadem sententia effertur (II, 18.): *ἐλπίζομεν γὰρ ἐπὶ τῷ θεῷ, ὅτι ταχέως ἡμᾶς ἐλεήσει καὶ ἐπισυνάξει ἐκ τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν εἰς τὸν ἅγιον τόπον. Ἐξείλατο γὰρ ἡμᾶς ἐκ μεγάλων κακῶν; καὶ τὸν τόπον ἐκαθάρισε* [33]). Scilicet Maccabaeorum tempora etiam in Alexandrinos eam vim excercuisse admodum probabile est, ut ad laetissimam illam spem animo concipiendam altius sese efferrent, idque eo magis quo gravioribus Ptolemaeorum serioribus temporibus calamitatibus obnoxii erant [34]). Ita calamitatum finem avide exspectantes et felicem rerum Pa-

---

31) V. Philo de opif. mundi §. 50. ad quem l. cf. Müller, Philos Buch v. d. Weltschöpf. p. 374. add. Dähne, Jüd. Alex. Rel. Phil. I, p. 283. 284.

32) Vid. v. c. Bengel opuscc. p. 389 ed. Pressel.

33) Similia leguntur, ut hoc obiter moneam, in oracc. Sibyll. l. III. vs. 100—136 (p. 351 sq. ed. Gall.), de quo quidem loco eodem fere tempore scripto optime disseruit Bleek. (Berl. theol. Zeitschr. I, p. 210 sq.), haec observans: „die ganze Tendenz dieses Orakels ist offenbar es auszusprechen, dass das letzte der Reiche, die Wiederherstellung des Jüdischen, nahe bevorstehe; nur in dieser Absicht werden die bisherigen grossen Reiche, wie sie auf einander gefolgt sind, aufgeführt" etc.

34) Cf. Daehne, I, pag. 22 sq.

laestinensium eventum pro signo atque pignore appropinquantis salutis habentes, non aliis tantum sed etiam sibimet ipsis solatium adhibere volebant. Jam vero ad nostrum ut redeam locum nescio an huic quoque ansam dederit versio Jeremiae Alexandrina, qua duce etiam Jeremias de Aegyptiis Graecorum imperio subjiciendis oraculum edidisse existimandus esset. Ita enim habet Graecus interpres Jerem. XLVI, (XXVI. Gr.) 15. 16.: *διατί ἔφυγεν ὁ μόσχος ὁ ἐκλεκτός σου; οὐκ ἔμεινεν ὅτι ὁ Κύριος παρέλυσεν αὐτόν. Καὶ τὸ πλῆθος ἠσθένησε καὶ ἔπεσε, καὶ ἕκαςος πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ ἐλάλουν· Ἀναςῶμεν καὶ ἀποςρέψωμεν πρὸς τὸν λαὸν ἡμῶν καὶ εἰς τὴν πατρίδα ἡμῶν ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς.* cll. L (XXVII.), 16. Quibus vv. nihil aliud nisi Aegyptiorum terram ab Alexandro occupatam ac Ptolemaeorum imperio subjectam significare voluit [35]). Concordant nostri libelli vv. III, 16 sq.: *ποῦ εἰσιν οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν καὶ οἱ κυριεύοντες τῶν θηρίων τῆς γῆς, οἱ ἐν τοῖς ὀρνέοις τοῦ οὐρανοῦ ἐμπαίζοντες, καὶ τὸ ἀργύριον θησαυρίζοντες καὶ τὸ χρυσίον ᾧ ἐπεποίθεισαν ἄνθρωποι, καὶ οὐκ ἔςι τέλος τῆς κτήσεως αὐτῶν; ὅτι οἱ τὸ ἀργύριον τεκταίνοντες καὶ μεριμνῶντες, καὶ οὐκ ἔςιν ἐξεύρεσις τῶν ἔργων αὐτῶν.* Optime enim si quid video haec quadrant in id quod praecipue scriptori ante oculos fuisse videtur Ptolemaeorum imperium, quos terrae indigenas atque provincias aspere tractasse [36]) nec non ingenti divitiarum copia atque luxuria corruptos fuisse constat.

Caeterum non tantum singula quaedam vestigia Alexandrinorum ingenium manifestant sed etiam tota libri indoles. Quam cum reliquis V. Ti libris apocryphis

---

35) Sententiae enim quam illis vv. inesse jubent Moversius (p. 52) et Hitzigius (p. 354.), de Persis appropinquante Macedonum exercitu festinata fuga in patriam sese conferentibus cogitantes, in ipso textu nec vola nec vestigium apparet. Neque tale quid excogitassent VV. DD., nisi praejudicata ista opinione de duplici Jeremiae vaticiniorum recensione, quarum alteram circa a. 330. a. Chr. institutam esse volunt, mirifice ducti fuissent.

36) VV. *οἱ κυρ. τ. θηρίων τ. γ. οἱ ἐν τοῖς ὀρνέοις τ. οὐρ. ἐμπαίζοντες* ab intpp. (vid. Theodoretum, Grotium, Schleusnerum, thes. IV, p. 124., Gaabium) ad artem venatoriam referuntur. Quibus longe melius sensum percepisse videtur Bertholdt, p. 1765. Manifesto enim scriptor ad symbolicam illam prophetarum dicendi rationem qua bestiis regna, avibus coeli populos comparant (ut Dan. IV. VII.) respicit. De vexationibus igitur populorum sermo est. — Ad rem conf. v. c. Schlosserum, univers. hist. Uebers. II, 1, p. 174 sq.

collatam prorsus singularem esse non possumus infitias ire. Verissime enim De Wettius judicat h. m.: „einem unächten Sprössling des alten Prophetenthums und zwar den einzigen unter den Apocryphen haben wir übrig unter dem Namen Baruchs." Scilicet prophetarum celeberrimorum ut Jesaiae, Jeremiae, Danielis vestigia scriptor anxie premit: Baruchum fingit vatem, et admonitionibus et consolationibus clarissimum, oracula edentem de futuris iisque felicissimis populi temporibus. Tale vaticinia falso nomine edendi studium apud Palaestinenses certe ante Christi aetatem in usu fuisse, temere contenditur: nullum enim ejusmodi fraudis exemplum inde repetitum in medium proferri potest [37]). Atqui nihil magis Alexandrinorum ingenio consentaneum est quam perversum illud veterum libros adulterandi studium [38]), quo ducti non solum Orphicis aliisque hujus generis carminibus depravandis operam dabant, sed etiam domesticos scriptores suis commentis mirifice amplificabant. Quantopere autem in ipsis vaticiniis fraudulenta arte effingendis isti homines sibi placuerint, Sibyllinorum oraculorum pars non ita parva Alexandriae confecta demonstrat. Baruchi vero liber ita comparatus est ut prima quasi pericula in arte serioribus temporibus magis magisque exculta facta ostendat.

Haec quidem de interna scripti indole disseruimus. Jam vero restat ut aliud quoque argumentum ad nostrum de Baruchi libello judicium confirmandum praecipue idoneum proponamus. Omnino enim huc facit ea qua Jeremiam apud Alexandrinos ornatum esse videmus summa auctoritas. Nimirum prophetam in Aegypto vitam degentem ibique (uti verisimile est) mortuum suum prophetam peculiari quodam sensu putabant ideoque ipsius vaticiniis commutandis atque suum in usum accommodandis operam dabant quam maxime. Testis est ipsa Jeremiae versio Graeca, a textu Hebraeo tantopere discrepans ut permultis locis novum paene opus appellari possit. Testis est etiam Philo Judaeus laude prorsus eximia

37) Cf. quae uberius disputavimus in l. Neue krit. Untersuch. üb. d. Buch Dan. p. 14 sq.

38) Cf. quae in universum optime hac de re exposuit Nitzsch, de testamm. XII. patr. p. 1—14.

illum praedicans [39]). Quare factum est ut fabulae ad Jeremiae nomen concelebrandum effictae vanissimaeque de eo traditiones spargerentur (vid. 2 Macc. II, 1 sq. XV, 14. 15.), serioribus temporibus multo magis etiam adornatae atque auctae [40]). A quonam igitur quaeso melius libri commenta proficisci poterant quam ab Alexandrino Judaeo? Jeremiae epistolam a secundi l. Macc. auctore laudari (II, 2.) omnes fere concedunt. Eo minus dubitandum est quin etiam Baruchi liber illi fabularum de Jeremia collectioni quas *ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς* perscriptas esse perhibet adscribendus sit. In illis certe vaticinia Jeremiae nomini affictu locum tenuisse ex ejusdem auctoris verbis luculenter apparet (II, 4. 7. 8.).

III.

Ad ultimam disquisitionis nostrae partem accedentes praecipua quaedam historiae libelli capita adumbranda atque illustranda nobis sumsimus: permulta enim hic latent vel nimis neglecta vel minus perspecta.

Judaeos Palaestinenses Baruchi libro non ita multum tribuisse Hieronymi aliorumque testimonia supra allata docent. Hieronymi testimonium recentiores quoque Judaei egregie confirmant [41]). Neque contrariam sententiam commendant quae in constitutionibus Apostolicis traduntur de Judaeis publicas lectione ex illo libro instituentibus [42]). Nam die illo solemni expiationum Judaeos etiam Helleni-

---

39) Cf. v. c. I, p. 148. Mang. *Ἱερεμίας, ὁ προφήτης, ἅ τε τὰ πολλὰ ἐνθουσιῶν κ. τ. λ.* p. 575. *λεκτέον δ᾽ ἤδη καὶ περὶ τῆς ἀνωτάτω καὶ ἀρίςης πηγῆς, ἣν ὁ πατὴρ τῶν ὅλων διὰ προφητικῶν ἐθέσπισε ςομάτων κ. τ. λ.* V. Gfrörer, l. c. I, p. 48. Quod ut recte intelligatur ea qua aliorum prophetarum scriptis Philo utitur ratio comparanda est. Nunquam enim laudat v. c. Ezechielem, Jeremiam saepenumero, v. Frankel, p. 39., cui quidem versionem Ezechielis Graecam Alexandriae non esse confectam inde colligenti nulla est fides habenda.

40) Cf. Fabricius, cod. pseudepigr. V. Ti I, p. 1105 sq.

41) V. R. Asariam in Meor Enajim p. 169. Wähner, antt. Hebr. I, p. 224.

42) V. const. apost. V, 20. (patr. apost. I, p. 328. ed. Coteler.): *καὶ γὰρ νῦν δεκάτῃ τοῦ μηνὸς Γοργιαίου συναθροιζόμενοι τοὺς θρήνους Ἱερεμίου ἀναγινώσκουσι — καὶ τὸν Βαροὺχ.*

stas Baruchum Graece legere per synagogas suas potuisse, verissime observat **Cotelerius**. Ad eundem Judaeorum morem Ephraemum quoque Syrum alludere conjecerim, quippe qui Baruchi locum (IV, 10 sq.) excitans his utatur vv.: ܡܘܡܟܢܐ ܟܢܘܫܬܐ ܠܟܢܢܐ ܘܡܫܡܥܬܐ ܗܕܐ ܒܝܬ ܥܡܡܐ „etiamnunc synagoga cantat[43]) hoc carmen inter gentes“[44]). Certe tale quid ad aures Ephraemi pervenisse eo verisimilius est quo certius etiam constitutionum apostoll. libros in Syriaca ecclesia compositos ibique praecipue fuisse propagatos[45]). Neque vero diffiteor rem aliter quoque explicari posse. Nam Baruchi librum eum in finem conscriptum esse ut publicis in lectionibus Judaeorum in usum adhiberetur quum ipse auctor disertis verbis asseveret[46]), illud praeceptum a Judaeis religiose observatum esse facile inde colligi poterat maximeque in poetico quo Ephraemus utitur sermone ubi ipsius veritatis historicae non ita religiose ratio erat habenda.

In ecclesia Christiana librum inde ab Irenaei (adv. haer. V, 35.) temporibus saepissime collaudatum deprehendimus eique Patres ea maxime de caussa tantum tribuisse videntur quia l. III, 35. 37. celeberrimum de Christo vaticinium inesse sibi persuaserunt[47]). In hexaplis Origenis Baruchum non defuisse certum est: in codice versionis Syro-hexaplaris Ambrosiano-Mediolanensi librum exstare, **Norbergius** testatur[48]). Quam quidem apocryphi versionem typis nondum esse exaratam vehementer dolendum est. Nunc enim non possumus quin paullulum haereamus in iis quae notavit **Bjornståhl** Suecus: „per se patet libros apocryphos

---

43) Vid. de v. ܟܢܢܐ usu apud Syros **Hahn**, Bardes. Gnost. Syr. pr. hymnol. p. 50 sq.

44) V. Ephraem. Syr. opp. Syr. lat. III, p. 212. B.

45) Hoc enim optime edocuit **Drey**, neue Untersuch. üb. d. Constitt. u. d. Can. d. Ap. p. 159—163. Neque praetermittendum constitutionum apostoll. versionem Syriacam una cum Arabica exstare, vid. **Krabbe**, üb. d. Urspr. u. d. Inhalt d. ap. Const. p. 140.

46) Cf. II, 14.: *ἀναγνώσεσθε τὸ βιβλίον τοῦτο ὅ ἀπεςείλαμεν πρὸς ὑμᾶς, ἐξαγορεῦσαι ἐν οἴκῳ κυρίου, ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς καὶ ἐν ἡμέραις καιροῦ.*

47) V. **Bendtsen**, l. c. p.114. 115: „nullus facile deprehenditur l. Apocryphorum locus, quem saepe adeo repetunt patres ecclesiastici ac Bar. 3, 35. 37. unde deitatem et praedictam incarnationem Christi evincunt, quem sub Sapientiae nomine significatum esse volunt.“ Vid. largam exemplorum messem apud **Bendtsen** l. c.

48) Cf. **Norberg**, cod. Syr. hexapl. praef. p. 9. **Middeldorpf**, cod. Syr. hex. praef. p. V.

carere his signis [sc. asteriscis, obelis, lemniscis etc.] — in Baruco autem quod mirum adsunt quamvis raro signa et excitatur versio Theodotionis"[49]). Talis enim est haec observatio quae facile errores procreare possit et revera nonnullos in errorem induxit[50]). Alii Bjornståhlii observationem fide destitutam esse conjecerunt idque parum considerate[51]). Alii textum Hebraicum a Theodotione Graece translatum hic indicari suspicati sunt. Contrarium vero docent apocrypha Danielis additamenta: in quibus Theodotionem non interpretationem libri hebraice vel aramaice scripti exhibuisse[52]) sed unice Septuagintavirali versione usum esse eandemque castigatam emendatamque edidisse, recte statuitur. Idem igitur in Baruchi libro accidisse non est cur negetur. Conjunctum enim vidit Theodotion Baruchum cum Jeremiae vaticiniis eadem ratione qua additamenta illa apocrypha cum libro Danielis canonico. At enim ego rationem illius rei explicandae longe meliorem praesto esse persuasum habeo. Nam quantopere Baruchi liber cum Danielis vaticiniis consentiat atque etiam versus integros inde desumtos exhibeat, neminem fugere potest. Quae quum ita sint, Danielis versionem a Theodotione confectam in versione hexaplari in usum esse adhibitam atque saepius laudatam mirum non est. Quae quidem sententia egregie confirmatur eo consensu quem inter nostras *τῶν ό* editiones et Theodotionis interpretationem hoc in libro locum tenentem conspicere licet. Cf. Bar. I, 15. 16. Dan. IX, 7. 8. Theod. — II, 1. 2. Dan. IX, 12. — II, 7. 8. Dan. IX, 13. — II, 11. 12. Dan. IX, 15. 5. —

---

49) Cf. Bjornståhl in Eichhornii l. Repert. f. bibl. u. morg. Liter. III, p. 170.

50) Ut Eichhorn p. 389.: „doch ist der Nachricht ohne weitere Prüfung nicht zu trauen."

51) Ut Dähne, II, p. 151. not.

52) Delitzschius, vir egregius, ut Aramaicum illorum additamentorum archetypum edoceat, omnes nervos intendit (in commentat. de Habak. p. 24 sq.), qua in re me quidem assentientem non habet. Multo vero magis placent quae vir doctissimus de Danielis versione a Theodotione facta et ab ecclesia comprobata his verbis proposuit: „ego versionem Danielis Theodotion. ab ecclesia non prius adoptatam esse censeo quam ab Origene tanquam castigata Alexandrinae editio in Hexapla recepta et ab Eusebio et Pamphilo, cum ex his textum septuagintaviralem ederent, septuagintavirali substituta est." (pag. 29.) Quam sententiam ingeniose ac praeclare excogitatam nostro de Theodotionis versione in Barucho adhibita judicio optime muniri sponte patet.

II, 13. 16. Dan. IX, 16. 18. [53]). Vides textum Baruchi Graecum Theodotionis versione quippe quae in ecclesiis Christianis teste Hieronymo publicis in lectionibus unice adhiberetur, ubique correctum atque emendatum. Cui emendandi studio, quo et Danielis et Baruchi libros etiam Graece quam maxime consentaneos redderent, hexapla Origenis ansam dedisse perquam est verisimile.

Syriaca in ecclesia quomodo librum Baruchi in usum adhibuerint, praeter Ephraemi testimonia peculiaria quaedam monumenta docent, qualia in polyglottis et Parisiensibus et Londinensibus nunc leguntur, in historia libri perscribenda omnino digna quae commemorentur atque dijudicentur, id quod ad hunc usque diem factum non esse dolemus. Laudanda est autem primum versio illa Syriaca e codd. Usser. et Pocock. Waltoni opera in lucem emissa. Textum Graecum e quo confecta est, satis accurate exprimit. Discrepantia autem Graeci ac Syriaci textus omnino talis est qualis etiam in versionis simplicis textu cum Hebraico collato deprehenditur. Scilicet verborum amplificationem interpres habet adamatam nec ita raro adhibet, ut I, 18. II, 13. III, 9. IV, 11. 12. 13. 19. 21. 31 sq. al. Explicat etiam hac ratione vv. quae ipsi paullo obscurius dicta videbantur, ut II, 26. III, 4. IV, 26. al. In nominibus scribendis praecipue a Graeca scriptione differt, ut ubique fere interpretes Orientales, ut I, 1. ܚܣܕܝܐ Gr. *'Ασαδίου* (al. *Σαδαίου*) I, 4. ܣܘܕ Gr. *Σοὺδ*. III, 23. ܡܕܝܢ Gr. *Μεῤῥαν*. I, 8. ܣܝܘܢ Gr. *Σειουὰλ* (leg. *Σιουὰν* quod Arabs exhibet). Gravioris momenti sunt interpretis emendationes, quippe quae nonnunquam ad ipsam libri indolem accuratius perspiciendam faciant. Ita I, 1. pro Gr. *ἐν Βαβυλῶνι* Syrus ponit ܠܒܒܠ, quod noli emendare cum Thorndiccio scribente ܒܒܒܠ. Nam Syrus initium libelli (*οὗτοι οἱ λόγοι τοῦ βιβλίου τούτου*) ita reddit: ܗܠܝܢ ܡܠܘܗܝ ܕܐܓܪܬܐ ܗܕܐ [54]), unde apud Syros liber Baruchi appellatur epistola Baruchi [55]). Quare epistola ad Babylonios i. e. Judaeos Babylone commorantes potius quam Babylone scripta videbatur. — VV. *υἱῶν τῶν βα-*

53) V. Bertholdt, Einl. p. 1751 sq.

54) V. *βιβλίον* enim epistolam significare voluit, cf. 2 Sam. XI, 14. 2 Regg. XIX, 14. XX, 12. LXX. Suidas: *βιβλίον, ἡ ἐπιστολή*.

55) V. Assemani bibl. Or. III, 1. p. 6.

σιλέων I, 4. Syro minus recte dicta videbantur. Scripsit igitur: ܕܐܘܪܫܠܡ ܡܠܟܐ. — I, 8. Thorndiccio non asséntior pro ܡܣܒܗ legendum ܡܣܒܠ jubenti. Graece dicitur: *ἐν τῷ λαβεῖν αὐτὸν*, quod a Baruchum referendum tanquam nimis remotum Syrus duxit corrigendum. Neque eodem loco de argenteis Zedekiae vasis sermonem esse voluit: omisit igitur v. *ἀργυρᾶ*. — I, 9. vv. *τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς δεσμώτας καὶ τοὺς δυνατοὺς καὶ τὸν λαὸν τῆς γῆς* Syrus emendanda judicavit. Scilicet versionem simplicem l. Jerem. XXIV, 1. in usum adhibens h. m. scripsit ܪ̈ܘܪܒܢܐ ܘܡܚܒ̈ܫܐ ܘܐܘܡܢ̈ܐ ܘܡܣܟܢܘܬܐ, ubi v. ܡܣܟܢܘܬܐ conjectura adjecit, fortasse eo quod praecedit voc. ܕܚܒܫܐ [56]) motus. — I, 20. omittit vv. *ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη*, quippe quae interpretis tempore de Judaeis minus apte dicta viderentur. — Leviora sunt quae leguntur correcta II, 1. ubi Israel et Juda ponitur pro: Israel II, 22., in urbe Judae (Gr. *ἐκ πόλεων Ἰούδα*) ubi fortasse in textu invenit *πόλεως*, quod libri nonnulli exhibent (Thorndiccius male contra libros pluralem numerum restituendum censet), III, 10. IV, 31. al. — IV, 1. ܗܢܐ ܟܬܒܐ ܕܕܘܟܪ̈ܢܐ (ita enim cum Thorndiccio legendum pro ܘܕܘܟܪ̈ܢܐ [57]): „hic est liber memorialis" etc. VV. *αὕτη ἡ βίβλος* scriptor ad ipsum Baruchi librum referenda putabat. — IV, 34.: *τὸ ἀγαλλίαμα* (cod. Alex., Arabs: *ἄγαλμα* [58]). Recte Bendtsen „Syrus, inquit, utrumque *ἄγαλμα* et *ἀγαλλίαμα* expressit videturque plures codd. ad manus habuisse in quibus si varietas lectionis deprehenderetur, utramque lectionem exprimendam putavit; cf. IV, 12." V, 5. *στῆθι ἐπὶ τοῦ ὑψηλοῦ*. Mirum est quod dedit Syrus: ܩܘܡܝ ܥܠ ܡܬ̈ܟܬܐ, sta in aulaeis. Thorndiccius legendum censet ܒܡܪ̈ܘܡܐ, in excelsis, cll. Judith XIV, 1. Parum considerate. Nam ܡܬܟܐ de prominentia, projectura v. c. muri usurpatur, neque vero de loco excelso. Scilicet Graeco scriptori l. Jes. XL, 9.; Syro autem l. Jes. LIV, 2. ante oculos versatum esse patet.

---

56) De quo vid. glossam in lex. Adleriano apud Roedigerum chrest. Syr. p. 39.

57) Nam literae ܘ et ܕ saepissime inter se confunduntur, cf. Roediger de Arab. libr. histor. interpr. p. 43.

58) Cf. Jes. LX, 18. *γλύμμα*, ubi alii *γαυρίαμα*, alii *ἀγαλλίαμα* legendum censent, Schleusner, thes. II, p. 29.

A Christiano homine versionem esse suitam (id quod per se spectatum satis est verisimile) luculenta indicia ostendunt. Ita certe explicandum esse censeo quod legitur: ܒܩܘܒܠܗ ܕܙܒܢܐ pro Graeco ἐν ἡμέραις καιροῦ (מועדים), I, 14. et ܡܩܪܒܐ ܡܩܠܘܬܐ ܚܠܦ ܚܛܗܐ pro ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας, I, 10. Clarius etiam hoc perspicitur l. celeberrimo III, 37. ubi non sapientiam divinam sed Deum ipsum interpres intelligit. Itaque e patrum sententia l. ad incarnationem et deitatem Christi retulit. Add. IV, 22. 23. Notandus est etiam l. IV, 4. 5., ubi ab Israelitis sese distinguit et excludit auctor [59]), scribens: „beatos **nos** et beatum te Israel (Gr. *μακάριοι ἐσμὲν Ισραὴλ*) — consolationem accipite popule Dei“ (Gr. *θαρσεῖτε λαός μου*).

Longe diversae indolis est ille qui Baruchi nomen prae se fert liber in polyglottis Parisiens. et Londin. typis exaratus. Qui quidem non interpretatio sed *ψευδεπίγραφον* Syriacum appellandus est. De eo sic loquitur **Fabricius**: „exstat in polyglottis sub Baruchi nomine quaedam epistola a libro de quo jam dixi diversa — verum exstat non Graece sed Syriace et illustri **Huetio** judice ita de futuro judicio et futurae vitae poenis ac cruciatibus disserit ut Christiani esse hominis foetus videatur, alicujus forte ex his monachis, qui Syriae deserta primis ecclesiae temporibus coluerunt“ [60]). Finem libelli ipsius scriptoris verbis satis perspicuis indicari existimo. Scilicet ad Israelitas miserrimum populum se convertit auctor eum in finem ut ad Christianam religionem amplectendam animos eorum perducat. Hoc enim deprehendisse mihi videor in vv. cap. I. fin.: „Parate igitur corda vestra ad ea quae jamdudum credidistis, ne utroque saeculo clausi sitis“ et cap. II.: „Quod si dirigamus et disponamus corda nostra recuperabimus omnia quae amisimus, immo longe praestantiora iis quae amisimus. Nam quae amisimus corruptioni erant obnoxia, quae vero accepturi sumus incorruptibilia sunt.“ Spem Messianam qualem patres fovebant, et regnum Messianum aeterna bona praebens scriptor intelligit, qua in re alludere videtur ad 1 Cor. XV, 30. 53. 54. Illam vero exhortationem quo graviorem reddat, vividis coloribus judicium describit di-

---

59) Vid. simile quid observatum a **Roedigero** l. c. p. 91.

60) Cf. **Fabricius**, bibl. Gr. II, p. 741.

vinum, in quo praecipue versatur. Quum judicium Deus adduxerit nullum poenitentiae locum futurum esse (cll. Hebr. XII, 17.) neque redemtorem docet (c. II. fin.).

Christianum hominem hic loqui certissimum est, neque intelligo quomodo hac de re aliquis dubitare possit. Barucho ut librum attribueret scriptor eo permotus est quod in Baruchi libro salutis ac judicii divini mox irruentis descriptio inest. Hoç enim mirifice exornans Baruchum tamquam vatem praeclara oracula edentem, cui divino auxilio et visionibus secreta tempora judicii nota reddita sint fingit. Ex eodem libro etiam emanavit quod de vasis sacris templi operi suo immiscuit scriptor. Sed exornat istas fabulas tali modo ut Judaeorum historiolam Haggadah dictam de Hierosolymis a Nebucadnezare captis audire tibi videaris [61]). Qua ratione Judaeorum animos sibi propensos reddere vult scriptor. Inventum autem, ista vaticinia ad decem tribus (vel novem et dimidiam, ut auctor mirifice scribit) esse scripta, eum in finem legitur ut haec epistola arctissime cum altera conjuncta tamquam hujus supplementum necessarium accipiatur. Quare laudat auctor alteram epistolam s. librum Baruchi (cap. II.) nec non suum libellum publicis in lectionibus usurpandum esse jubet (c. II. fin.).

Utrum e Graeco libro noster sit factus, nunc quidem temporis dijudicari non potest. Attamen Graece quoque nostrum exstisisse ex iis conjecerim quae docet Fabricius: [62]) „in Athanasii synopsi S. S. et in stichometria Nicephori post libros V. Ti post *ἀντιλεγομένους* — inter apocrypha memorantur: *Βαρούχ*, *Ἀμβακούμ*, *Ἐζεχιήλ*, *καὶ Δανιὴλ ψευδεπίγραφα*. — Baruchi scriptum noto diversum h. l. intelligendum videri ab eo quod Graece hodie habemus, quodque in eadem Nicephori stichometria inter libros *ἐκκλησιαζομένους* memoratur statim post Jeremiam, traditurque fuisse *ςίχων* septingentorum.“

---

61) Ejusmodi enim traditiones ad Syros pervenisse constat. Comp. versionem Syr. l. Tobith inde a cap. VII. (v. Ilgen, d. B. Tob. p. LXXI sq., et Delitzsch, l. c. p. 35 sq.)

62) Cf. Fabricius, cod. pseudepigr. V. Ti I, p. 1116.

Jam Vobis, Cives ornatissimi, sacra quae instant Pentecostalia indicentes, ut praeclara ac vere divina Spiritus Sancti cujus effuse olim dati memoriam ecclesia Christiana recolit beneficia in Vos quoque redundent ex animo optamus. Quem in finem ut egregium illud Origenis dictum animo volvatis Vos rogatos esse volumus: *Ὁ δυνάμενος μετὰ ἀληθείας λέγειν, συνανέϛημεν ἐν Χριϛῷ, ἀλλὰ καὶ τὸ συνήγειρε καὶ συνεκάθισεν ἡμᾶς ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριϛῷ, ἀεί ἐϛιν ἐν ταῖς τῆς πεντηκόϛης ἡμέραις.*